

# 1. ANGULOA SUPERBA.<sup>1</sup> † Tab. XCIII.

A. foliis subtrinerviis; scapis multifloris; calycibus clausis.

*Crescit ad arbores in temperatis Provinciæ Tumbezensis, juxta Zaruma Peruvianorum et pagum Catacocha: colitur in hortis Loxensibus, alt. 1050 hexap. ¶ Floret Julio.*

HERBA parasitica, odorem dulcem, nec tamen suavem spirans. RADICES teretes, simplices, albidæ, glabræ. BULBI oblongi, compressi, striato-costati, glabri, bipollicares, squamis vaginantibus, lanceolatis, membranaceis, marcidis vestiti. FOLIUM solitarium, petiolatum, erectum, oblongo-lanceolatum, acuminatum, planum, integerrimum, margine undulatum, membranaceum, subquinquenervium, nervis tribus interioribus crassioribus, subtus prominentibus, striatum, glaberrimum, decempollicare, duos pollices et latius. PETIOLUS canaliculatus, sulcato-angulatus, glaber, bipollicaris et longior. SCAPUS radicalis pauciflorus, folio brevior, glaber. FLORES nonnulli, alterni, pedicellati; pedicello basi spatheolato, glabro. SPATHELLÆ membranacæ, ovatæ, glabræ, pedunculum subæquantes. CALYX subglobosus, sexpartitus, resupinatus; foliola coriaceo carnosa, conniventia, rubra, maculis purpureis variegata, striata; tria exteriora subæqualia, ovata, acuta, concava; duo interiora lateralia ovato-lanceolata, exterioribus paullo breviora; sextum (labellum) inferne angustatum, superne trilobum, carinato-concavum, purpureo-maculatum, medio zona transversali, alba notatum, tuberculisque duobus, alæformibus instructum, sursum spectans; lobis lateralibus rotundatis, intermedio emarginato latioribus, gynostemum tegentibus. GYNOSTEMUM (*fig. 1. adjecto labello.*) subrectum, carnosum, breve, interius canaliculatum, superne subalatum, alis rotundatis, niveum, basi margineque punctis raris pictum. ANTHERA terminalis, operculata (*fig. 3. operculum antheræ.*), semibilocularis, decidua. POLLINIS massæ duæ (*fig. 2.*), oblongæ, cereacæ, pedicello communi, laminæformi adfixa. OVARIUM glabrum. FRUCTUM haud observavi.

Plantam nostram (hisp. *Periquito.*) ad genus Anguloæ retuli, licet figura in Prodromo Floræ Peruvianæ, quantum ad floris directionem, cum nostra non satis quadret; sed hæc directio torsione ovarii aut pedicelli varie mutatur (*vide R. Brown. prodr. p. 311.*), et characterem ad genera distinguenda haud bonum offert. Præterea celeberrimi auctores in descriptione calycem resupinatum esse affirmant, ut scripsi.